



LOYSIVS DE AQVINO PROTHONOTARIVS APOSTOLICVS VTRIVSQUE SIGNATVRÆ SANCTIS-
tissimi D. N. PP. Referendarius, ac causarum Curiae Camerae Apostolicae Generalis Auditor Romanaeque Curiae
Iudicis sententiarum quoque, & censure tam in eadem Romana Curia, quam extra eam litarum, & literarum Apo-
stolicarum quarumcunque vniversalis, & merus executor ab eodem Sanctissimo D. N. Papa specialiter deputatus. Vni-
versis, & singulis RR. DD. Abbatibus, Prioribus, Praepositis, Decanis, Diaconis, Archidiaconis, Scolasticis, Cantori-
bus, Thesaurarijs; caeterisque iustitiae Ministris illiq; vel illis &c. Salutem in Domino Noveritis quod introducta alias

coram nobis, sive infrascripto Reverendissimo D. Consulente nostro lite, & causa pro parte, & ad instantiam Reve-
rendissimi D. Abbatis Rivipulli principalis contra, & adversus Illustrissimum, & Reverendissimum D. Episcopum Vicens. excludentē de
& super manutentione in quasi possessione iuris visitandi omnes Ecclesias Oppidi Rivipulli rebusque alijs &c. In qua quidem causa
emanatis a nobis literis monitorialibus, & citatorialibus super manutentione huiusmodi illisque in partibus contra dictum Illustrissimum
D. Episcopum legitime execut. & in actis reproduct. exhibitisque alijs iuribus ad causam faciens. & servatis alijs de iure, & stylo
Curiae nostrae servari solitis: tandem citato hic in Curia coram nobis sive infrascripto Reverendissimo D. Consulente nostro per vnum ex
Sanctissimi D. N. Papae cursoribus Illu. & Ex^o D. Thoma Grillo in Romana Curia, & dicti Illustrissimi D. Episcopi Procuratore als: nec
non eodem Illustrissimo D. Episcopo pro Audientia publica literarum contradictarum Sanctissimi D. N. PP. ad videndum praevia re-
vocatione mandati de manutenendo concessi eidem D. Ad^o ab Illustrissimo D. Panciatico manuteneri do. D. Instante in quasi
possessione iuris visitandi omnes Ecclesias Oppidi Rivipulli, & alias pro vt in dicta citatione vt supra execut, & in actis reprodu-
cta ad quam &c. Infrascriptus Reverendissimus D. Consulens noster ad petitionem, & instantiam Illustris, & Admodum ex^o
D. Christophori Torrentis in eadem Romana Curia, & dicti Reverendissimi D. Abbatis Rivipulli Procuratoris mandatum de manu-
tenendo petitem praevia tamen revocatione dicti mandati de manutenendo, vt supra concessi a dicto R. P. D. Panciatico concedendum,
& relaxandum fore, & esse duxit, & relaxavit, pro vt, & nos harum serie modo quo supra concedimus relaxamus, & exequi volumus, &
mandamus per praesentes. Quo circa vobis omnibus, & singulis supradictis ac vestrum cuilibet in solidum tenore praesentium commit-
timus, & in virtute Sanctae obedientiae strictē praecipiendo mandamus quatenus his visis ex parte nostra fueritis requisiti, immo verius
Apostolica auctoritate subinterdicti ab ingressu Ecclesiae, & exercitij Pastoralis ac ducatorū mille auri Camerae Apostolicae aplicandorū
alijsque arbitrio nostro poenis quo ad dictum Illustrissimum D. Episcopum; quo verō ad alios quoscunq; sub suspensionis a divinis interdi-
cti ab ingressu Ecclesiae excommunicationis privationis beneficiorū, inhabilitatis ad quoscunque gradus ducatorum quingentorum auri Ca-
merae Apostolicae aplicandorū, alijsque arbitrio nostro poenis eundē Reverendissimū D. Abbatē Rivipulli, sive eius legitimum Procuratorē
in possessione, vel quasi iuris visitandi omnes Ecclesias dicti Oppidi Rivipulli cōtra, & adversus dictum Illustrissimum, & Reverendissimū
Dominum Episcopum Vicens. omnesque, & singulos alios illegitimos molestatores, & perturbatores manuteneatis defendatis, & confer-
vetis manutenerique defendi, & conservari curetis mandetis, & faciatis non permitētes ipsum Reverendissimū Dominum Abbatē super
huiusmodi quasi possessione visitandi dictas Ecclesias ab eodē Illustrissimo D. Episcopo, nec alio quocunque molestari, turbari, inquietari,
nec impediri pro vt, & nos harum serie ipsum Reverendissimū Dominū Abbatē manuteneri, & non molestari volumus, & mandamus per
praesentes insuper eundē Illustrissimū Dominū Episcopum Vicens. excludentē ad dandū solvendū, & exbursandum dicto Reverendissimo
Domino Abbati Rivipulli, sive eius legitimo Procuratori scuta vndecim d. 30: monetē pro expensis praesentis mādati de manutenēdo, &
contradictarum sine tamen praesudicio aliarum expensarum in causa haecenus factarum suis loco, & tempore liquidan. & non alias &c.
Per honorum omnium, & quorumcunque illius oblationem, venditionem, sequestrationem, sublastrationem, deliberationem omnimodamq;
alienationem ad reficiendum cogatis, & compellatis cogique, & compelli faciatis vsque ad integram rei debitae satisfactionem taliter &c.
In quorum fidem &c. Datum Romae ex quibus nostris hac die vigesima nona Ianuarij millesimo sexcentesimo septuagesimo sexto.

*Nicolans Mallechus Casarum Curia
Camera Apostolica Not.*

*J. J. Cavallinus G. G.
Mandatum de manuteneri.*

Locus sigilli.